



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XXII. De Fidejussoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

scriptionem privativam actionis sufficit possessio negativa, consistens in hoc, quòd omissa sit repetitio pignoris.

TITULUS XXII.

De Fidejussoribus.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Fidejussio, & Fidejussor.*
2. *Quinam fidejubere possint.*
3. *Super qua obligatione, vel debito.*
4. *Fidejussionis effectus.*
5. *Quæ remedia competant Fidejussoribus.*

Fidejubere est fide interposita creditorem jubere securum esse de satisfactione. Unde Fidejussor, alio nomine *Intercessor*, *Bürg*/ dicitur esse, qui pro alieno debito fidem suam interponit, seu promittit, quòd debitore principali non solvente (qui nihilominus manet obligatus) ipse velit solvere. Adeòque *Fidejussio* seu *Intercessio*, *Bürgschafft*/ est obligatio succedanea & accessoria, quam quis ad solvendum alienum debitum, si debitor principalis ob inopiam vel aliam causam non solvit, in se suscipit sive per stipulationem (nempe ad interrogationem unius & responsionem alterius, uti de Jure Civili Romano fieri deberet, & ideo fidejussio est contractus Juris Civilis, verbalis, unilateralis, & stricti Juris) sive per nudum pactum, scriptò vel oretenus, inter absentes vel præsentis in initum, uti habet recepta consuetudo,

tudo, vi cuius jura stipulationum & pactorum confusa sunt. Differt Fidejussor ab *Expromissore*; quia hic ita se obligat pro alieno debito, ut prior & principalis debitor omnino liberetur: à *Constitutore*; quia hic per nudum pactum spondet se soluturum, quod ipse vel alius debet, adeoque etiam pro debito proprio solutionem promittere potest: à *Mandatore*; quia hic suo nomine se obligat, & ante obligationem principalem alterius: à *correo debendi*, quia & iste suo nomine, & principaliter promittit solutionem. Si quis tertius se obligat pro ipso fidejussore, vocatur fidejussor fidejussoris, *Nüch-Bürg* & talis fidejussio dicitur *succedanea*. Si fidejussio fiat in Judicio, dicitur *Satisfactio*, & qui cavet de Judicio fisci, *Vas*, qui autem de judicatum solvi, *Pras* appellatur.

Dico I. Fidejubere possunt omnes, qui contrahere, & contrahendò se ac sua obligare, nisi specialiter prohibeantur. Text. & DD. in l. 3. ff. h. t. Prohibentur autem Milites in actuali expeditione constituti. l. 31. C. de locato. Minores & Pupilli. §. 1. Inst. de auth. tut. & ibi DD. Clerici obligando redditus ad suam sustentationem pertinentes, imò & patrimonialia, si id frequenter faciant, & non pro causa pia. c. 1. & 2. h. t. Religiosi sine consensu Prælati & majoris partis Capituli. c. 4. eod. ipsi Prælati Ecclesiastici obligando bona Ecclesiæ in notabili quantitate sine consensu Capituli. c. 2. de solut. Denique Mulieres. t. t. ff. & C. ad S. C. Vellejanum. nisi nempe fidejubeant in utilitatem propriam, aut pro dote alterius mulieris, vel pretium competens accipiant pro

pro fidejussione, vel nisi instrumentum publicum & tres testes, aut juramentum, quod juxta *c. 9. & 28. de Jurejur.* observari debet, aut dolus ipsius intervenerit, vel nisi post biennium repetat fidejussorem; per varias Leges *cit. tit. ad S. C. Vell.* Vel denique, prout in praxi, & de Jure Bavar. obtinet, nisi mulier de beneficio S. C. Vell. certiorata renuntiaverit eidem; quia cuilibet permissum est renunciare favori principaliter propter se introducto. *l. penult. C. de pact. c. 12. de for. comp.* Extende hoc, ut sceminae etiam pro foro interno conscientiae non obligentur fidejussione in illis casibus, in quibus hoc privilegio uti possunt pro foro externo, partim quia parum istis prodesset hoc privilegium, si Leges reliquissent obligationem naturalem in conscientia; partim quia in *l. 40. ff. de condict. indeb.* mulieri fidejubenti conceditur *exceptio perpetua*, imò & *condictio soluti*, seu repetitio illius, quod ex fidejussione solvit: atque posse solutum repetere signum est non existentis obligationis naturalis, seu in conscientia. *l. 10. ff. de O. & A.*


- 3 Dico 2. Super omni obligatione aliena, sive naturali sive civili, & super quovis debito, sive descendat ex contractu sive ex delicto, fidejuberi potest. §. 1. 3. *Inst. l. 1. 4. 8. 16. ff. h. t.* Excipe, nisi agatur criminaliter ex delicto ad poenam corporis afflictivam, & non merè pecuniariam. *l. 56. l. 70. ff. eod.* quia poenae corporales suos tenere debent auctores. Dein nec uxori regulariter permittitur, ut stante Matrimonio exigat à marito fidejussorem pro illata dote conservanda vel restituenda. *l. 1. 2. C. Ne fidejuss. dotium dentur. nisi*
nempe

nempe maritus fiat decoctor, & ad inopiam vergat.

Dico 3. Effectus fidejussionis proximus est obligatio solvendi debitum alienum, quod existerat tempore fidejussionis *f. 5. Inst. l. 68. f. 1. ff. h. r.* & quidem obligatur in solidum fidejussor, ita ut, si plures essent fidejussores, quilibet in totum id, pro quo fidejussit, conveniri possit à creditore, quem hic voluerit, etiam omisso debitore principali. *f. 4. & ibi DD. Inst. eod. l. 3. & 5. C. eod.* In duriorum tamen causam obligare se fidejussor nequit, h. e. ad majorem summam, quam debeat principalis. *f. 5. cit. l. 8. f. 7. ff. eod.* licet intensivè magis valeat se obligare & arctius, v. g. adjecção juramentò. Si tamen per errorem fortè ad majorem summam & extensivè magis se obligasset, teneret fidejussio quoad summam concurrentem, verè debitam, nec corrueret tota, ut habet probabilior ex *c. 37. de R. f. in 6. ibi: utile per inutile non debet vitari.* Effectus remotus est actio adversus fidejussorem & ejus hæredes, & quidem ex stipulatu, si per stipulationem, *condictio ex moribus* autem, si per nudum pactum celebrata sit fidejussio.

Dico 4. Fidejussoribus, ne nimis graventur, à Jure concessa sunt quatuor remedia. 1. Beneficium *Ordinis*, vel *Excussionis*, vi cuius, si conveniantur ante debitorem principalem, petere possunt, ut debitor principalis conveniatur priùs, & excutatur, h. e. ejus facultates & bona lustrentur usque ad saccum & peram, ut loquuntur, & tum demum, si deprehendatur non esse solvendo, contra se instituat actio. *Auth. Prasente. C. h. t. Nov. 4. c. 1.* Dein 2. beneficium *Divisionis*,

vi cuius, si plures sint confidejussores pro eodem debito, & unus tantum conveniatur in solidum, excipere, ac petere is potest, ut actio dividatur, & contra singulos confidejssores moveatur pro rata. §. 4. *Inst. l. 10. C. h. t.* Si his beneficiis uti nequeat vel nolit fidejssor, superest ipsi 3. Beneficium *Cedendarum actionum*, vi cuius exigere à creditore potest, & ante solutionem debet, ut sibi cedat omnes actiones, personales & reales, quas fortè habet adversus debitorem principalem, & confidejssores, vel etiam pignorum possessores. *l. 13. 17. 36. ff. l. 21. C. eod. l. 76. ff. de Solut.* Quòd si solvisset absque petita vel reservata hac cessione, haberet adversus debitorem principalem, si eo rogante vel consentiente solvisset, actionem *mandati*, si eo absente vel ignorante, actionem *negotiorum gestorum*. Denique 4. beneficium *Liberationis*, vi cuius liberationem à fidejssione petere potest institutâ querelâ non adversus creditorem, sed adversus debitorem principalem, si iste diu distulit solutionem ex culpabili mora: si incipit dissipare bona, & vergere ad inopiam, ac impotentiam solvendi: si ipse fidejssor prætermisio ordinis remediò conventus & jam condemnatus est, vel propediem condemnandus. *l. 38. §. 1. ff. Mandati. c. fin. h. t.* His addunt DD. casum, quo fidejssor ex rationabili causa vult proficisci in remotas terras, diu non reversurus &c.



TITU.